

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

COLLEGII
DE SACRAMENTIS

Disputatio Decima quarta

De

**ADIUNCTIS, RITI-
BUS AC CEREMONIIS
BAPTISMI.**

Quam

Annüente J E H O V A

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S.S.Theol.D.&P.P. Magnifici p.t.Rector.

In Collegio privato examinandam

proponit

M. JOHANNES MICHAELIS,
V Vittebergenfis.

*Habebitur ad d. 26. Novemb. boris pomeridianis
in minori Auditorio.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Gormanni,

ANNO M. DC. XX

COLLEGIUM
DE SACRAMENTIS
DISCIPLINA

ADRIANUS
BUS
BAPTISTUS

Annuncie
DR. BAPTISTUS

M. JOHANNES

WITTEBERG
EX OFFICINA

ANNO MDCIX



בִּיהוּה אֱלֹהֵינוּ אֲמוּנָה

THESIS I.



N *Disputationibus*

precedentibus, de Substantibus ac internis rebus & actionibus Baptismi actū est, proinde ordo doctrinae requirit, ut de externis adjunctis & ceremoniis ejus, nunc dicamus, quibus necessitatis vel absurditatis contineant, quam procul ab analogia fidei recedant, vel ad eam accedant, & quo pacto retinenda vel repudianda sint, videamus. Adversariorum objectiones refellamus, atq; sic colophonem doctrinae Baptismi imponamus. Deus largiatur successus:

II. *Inter omnes circumstantias externas Baptismi primum locum sibi vindicat Tempus, ubi quaeritur, quo potissimum tempore Baptismus ritè sit administrandus. Nostra sententia & thesis haec est: Baptismi administratio, non quidem est ad certū tempus alligata, & potest quovis tempore ritè suscipi, ideoq; parentes maturè infantes suos per Baptis. Christo inferi curent. Prima pars theses probatur, ex generali prohibitione, superstitiose observandi tempora, Col. 2, 16. Ne quis igitur vos damnet, ob cibum aut*

A 2

potum

potum, aut respectu diei festi, aut novilunii,
aut Sabbathorum; & reprehensione eorum, qui
tempora observant, Gal. 4, 10. Dies observatis, &
menses, & tempora, & annos, metuo de vo-
bis, ne frustra fatigatus sim apud vos. Neque
etiam ullum certum tempus Baptismo est destina-
tum, sed inde finitè dictum, Baptizate omnes
gentes, in nomine Patris, Filii & Spiritus san-
cti, Matth. 28, 19. Marc. 16, 16. imò videtur expresse
quodlibet tempus Baptismo esse deputatum in gra-
vi ista præceptione Baptisimi, Ioh 3, 5. Amen, A-
men, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex a-
qua & Spiritu, non potest introire in regnum
DEI. Quodcumq; autem citra salutis periculum
omitti nequit, id semper & omni tempore obligat
ad sui observationem; Baptismus est talis. E. ad
certum tempus non est astrictus, nisi expresso verbo
certum tempus sit destinatum, ut dies octavus cir-
cumcisioni infantum in V.T. Gen. 17. Altera pars
theseos fluit ex prima. Si enim Baptismus ob ne-
cessitatem omni tempore administrare potest ac
debet, laudabiliter & pie faciunt parentes,
sine mora, & quàm primum fieri potest, infantes
baptizari curantes, ne necessario salutis priventur
remedio.

III. Reprehendimus hinc i. Calvinianos, qui per
indirectum, & vi suarum hypotesium, de Tempore
Baptisimi, non possunt non recte sentire & doce-
re. Nam i. infantes Christianorum ab utero
sanctos eosque ante Baptismum in fœdere
gratie

gratia DEI constitutos esse docent, Calv. l. 4. Instit. c. 15. p. m. 471. §. 12. Non ideo fidelium, liberi baptizantur, ut filii DEI tunc primum fiant, qui ante alieni fuerint ab Ecclesia, sed solenni potius signo, ideo recipi in Ecclesiam, quia promissionis beneficio, jam ante ad Christi corpus pertinebant. Hanc quoque sententiam noviter repetiit Alsted. p. 5. Theol. Polem. p. m. 596. Liberi Christianorum, ex formula foederis coram DEO, sunt sancti ab utero, ideoque accipiunt infantes signum foederis, quia sunt in foedere, & Christianorum infantes non sunt Christiani per generationem, sed vi promissionis DEI. 2. docent, Sacramenta & sic Baptismum praeter significationem & representationem, nullum superiorem & principaliorem habere effectum, Beza, p. 2. R. ad Acta Colloq. Mompelg. p. m. 118. In summa igitur, quod dixi manifestam esse idololatriam, vel aquae ipsi vel ejus aspersioni, vim ullam aliam, quam Sacramentalis significationis tribuere, iterum dico & affirmo, & p. 117. ait: Sacramentis, ultra significationis usum, nil aliud attribuendum esse. Piscator Vol. 2. Disput. Theol. Lo. 15. de Bapt. p. m. 316. th. 22. Per verbum & symbolum externum significatur nobis reconciliatio cum DEO per Christum facta. Et quam mirifice in enervandis dictis efficaciam Bapt. astruentibus qualia sunt Ephes. 5. 25. 26. 1. Petr. 3. 21. Tit. 3. 5. 6. Actor. 22. 16. sudet & se tor-
A 3 *queat*

queat Piscator, vide integrum Locum 25. Vol. 1. p.
m. 404. 405. 3. docent, à Baptismo regenerationem
& fidem non dependere, sed longo demum tempore
post eum fieri. Ita enim Beza in præf. p. 1. R. ad Acta
Coll. Momp. p. m. 22. Neque dixi, pueros vel om-
nes, vel aliquos, re ipsa in illo Baptismi mo-
mento regenerari, sed regenerationis bene-
ficio suo demum tempore divinitus con-
stituto, illum Baptismi actum in infantibus,
ex verbi auditu subsequi. 4. Quia Baptismum
ad salutem non adeò necessarium censent. Sic enim
Scharpius. To. 1. Cursus Theol. d. Bap. p. m. 12. 54. col. 2.
Nos dicimus Sacramenta non esse negli-
genda, tum ratione præcepti, tum ratione
medii, licet non absolutè & simpliciter ad
esse salutis, quia sine Bapt. potest esse fides,
ideòque & salus, sed conditionaliter, & ad
salutis bene esse ordinariè, ac proinde infan-
tes nonnullos scilicet prædestinatos, & qui
sunt in fœdere servari posse. Beza cum Sociis
ad th. 3. Würtemb. in R. p. 2. Colloq. Momp. p. m. 120.
Salutem nostram hæcenus à Baptismo su-
spendimus, ut nec ipsius salutis fundamen-
tum ab eo inchoemus, neque ejus carentia,
sed contemptu homines à salute excludi ar-
bitremur. 5. per absoluti electionis & reproba-
tionis decreti hypothesein, quando docent Baptis-
mum infantibus, vel adultis electis tantum prodes-
se, absolute v. reprobatis nõ item, etiam si milles
baptizentur. Beza in Coll. Momp. p. 469. Quibus
pre-

presuppositis, non potest non sequi qualiscunq, circa
Tempus Baptismi error, ut homines minus
tempestive sint solliciti de perceptione Baptismi,
eamq, tanquam rem indifferentem indies disse-
rant. Hinc fluxit illud Musc. in Locis, tit. d. Bapt.
p. 338. cit. Dn. D. Gerh. in Lo. d. Bapt. p. m. 1148 Non
probari posse à cordatis viris, quod tam an-
xiè & superstiosè cum infantibus vix jam
natis ad Baptismum quomodocunq, per-
cipiendum festinetur. Cum autem hoc falsis su-
pra allegatis hypothesebus nitatur, ejus refutatio, ex
refutatione hypotheseum, partim ex Prædestina-
tionis doctrina, partim quoq, ex precedentibus
Disp. desumenda erit.

IV. 2. Parentes quosdam, inprimis divites, qui
infantum suorum Baptismum levem sæpe ob cau-
sam differunt, ut interea domi satis parare ipsi pos-
sint quæ ad convivialia puerperalia & splendorem
pertinent. Nam hi 1. in manifestum periculum a-
nimæ coniciunt infantes, Genes. 17, 14. Joh. 3, 6.
Marc. 16, 16. Fieri n. potest ut infans rebus huma-
nis eximatur 2. Contra DEUM graviter peccant,
ejus mandatum vanis mundi illecebris postponen-
do, & sibi atroces pœnas accersendo, uti testatur
historia Mosis, quem DEUS ob intermissionem
circumcisionis cui nunc respondet in N. T. Baptis-
mus, in filio suo Gersone, occidere volebat. Exo-
di 4. vers. 24. 3. Sibi ipsis quoque nocent, tum
quoad animum malè conscientia, tum quoad
corpus, sumptus sustentationi infantum necessarios

Consumendo, famem & paupertatem accelerando,
ac puerperis ipsis, quæ sua quiete post tot exantla-
tos in partu labores, gaudere debebant, molestias
creando, & in graviolem sape morbum detru-
dendo.

V. Sequitur alterum adjunctum Baptismi, nem-
pe Locus. Baptismus nulli certo loco est al-
ligatus, & ordinariè, in publico templo, ex-
traordinariè vero flagitante ita valetudine
adversa baptizandi etiam domi privatim
legitimè ad ministrari potest, ac debet. Con-
clusio hæc est trimembris, 1. patescit ex Institutio-
nis Baptismi repetitione, Matth. 28, 19, ubi locus
Bapt. omittitur, & in Ecclesiæ libertate relinqui-
tur, quod si autem necessarius esset certus locus, iste,
vel maxime hic vel alibi fuisset indicatus, item ex
actis Apost., qui hic & illic baptizarunt, Ioh. Bapt.
baptizavit in Iordanis flumine. Matt. 3, 13. Act. 10,
17. 2. probatur ex 1. Cor. 14, 26. Quoties con-
venitis, unusquisque vestrum canticum ha-
bet, doctrinam habet. ubi Apostol. verbi au-
dibilis prædicationem in publico conventu insti-
tuere jubet. E. quoq; verbum visibile & Baptismus
commodè ibi administrari potest. Deinde quia Eu-
charistiæ Sacramentum in publico cœtu ad mini-
stratur. 1. Cor. 11, 20. Convenientibus vobis
in unum non licet dominicam Cœnam ede-
re, vide v. 22. & 34. Quod si quis esurit, domi
edat. 3. membrum confirmatur 1. quia cultus DEI
in N. T. non est alligatus certo loco Johan. 4, 21.
Venit.

Venit hora, quando neq; in monte hoc, neque Jerofolymis adorabitis Patrem. 1. Tim. 2, 8. Velim igitur ut viri precentur in quovis loco. 2. In casu necessitatis a communi ordine licet digredi. 3. Circumcisio in privatis aedibus saepe fuit administrata, Luc. 1, 59. ubi Ioh. Bapt. domi privatim circumciditur. Baptismus v. successit in locum Circumcisionis. E. 4. Gerson filius Moysis circumciditur in diversorio in via, Exod. 4, 25.

VI. Habemus hic nobis contradicentes Calvinianos, qui Baptismum privatum, aequè ut Bapt. à laicis vel mulieribus administratum nolunt admittere. Sic enim inquit Beza Vol. 3. Op. l. 2. q. 6. & R. q. 151. Cum omnia decenter in Ecclesia fieri oporteat, sit a. Evangelici ministerii pars Bapt. eundem locum & verbi & Sacramentorum ministerio tribuendum esse censeo: ut in cœtu Ecclesiae, & communibus precibus adjunctis, Bapt. administretur, neq; istos nescio quos necessitatis casus temerè admisero. Resp. Praxis Apost. est ipsis contraria. Apostoli enim ubivis locorum necessitate urgente Bapt. administrarunt, vide Act. 16, 33. & 17, 34. & 18, 8. & 19, 12. quibus adde precedentem thesin. Regerit Beza: Baptismum esse actionem Ecclesiasticam, & proinde publicè peragendam. R. Concedo esse actionem Ecclesiasticam, quod a. propterea non possit privatim administrari, nego, quasi Ecclesia tantum templis publicis affixa esset, & non quoq; ad domos spectaret? Scilicet est & domestica Ecclesia.

Sia, ubicunq; enim duo vel tres sunt in nomine meo, in medio illorum sum, ait Salvator, Matth. 28, 20.

VII. Hec de adjunctis duobus Bapt. Tempore & Loco, quæ quoad genus omitti nequeunt, quoad speciem v. in potestate sunt Ecclesiæ, quæ etiam à communi lege pro variatione temporum, locorum, personarum & aliarum circumstantiarum discedere potest.

IX. Consequitur, ut de Ceremoniis Baptismi, dicamus. Antequam a. ad earum ἐξήγησιν accedamus, quædam de ratione & natura ac divisione Ceremoniarum breviter præcognoscere oportet. Ceremoniæ circa actiones Sacramentales occurrentes, sunt duplicis generis. 1. Quædam ab ipsis Apost. adhibitæ, ut, preces, Sacramentorum explicatio, gratiarum actio, benedictio, &c. Et hæc non facile sunt reiiciendæ. 2. Quædam habent authores viros Ecclesiasticos, quæ plane ac purè sunt adiaphoræ ac liberæ, quales sunt de quibus in sequentibus sumus dicturi.

IX. Posterioris ordinis Ceremoniæ ita debent esse affectæ, ut Baptis. illustrent ac commendent, non v. obscurent, ne illis affigatur spiritualis aliqua vis & efficacia, ne sub opinione necessitatis urgeantur, ne sint superstiosæ Bapt. in spectaculum histrionicum aut theatricum transformantes, sint parçæ, ad simplicitatem Apost. accedentes, ædificationi Ecclesiæ inserviant, & quæ necessitate flagitante abrogari possint.

X. Omnia hæc jam jam enumerata requisita,
notæ.

notæ & proprietates Ceremoniarum, reperiuntur
in istis ritibus, qui retenti adhuc usurpantur in no-
stris Ecclesiis, ideòq; non possunt non nobis inde red-
di commendabiles & amabiles.

XI. Primus ritus est Impositio nominis, qua
baptizando nomen proprium imponitur. Et rectè
quidem. 1. quia antiquitus in circumcissione infan-
tibus imponebantur nomina Luc. 1, 59. & 2, 21.
Gen. 17, 5. 2. quia in Baptis. Christo novo duci no-
men nostrum damus, quod sub ejus vexillo contra
Diabolum aliosq; hostes dimicare velimus, uti fecit
Nebucadnezar Danieli, ejusq; sociis, Dan. 1. No-
mina a. imponantur Christiana non idolatrica A-
pollinis, Mercurii, Veneris, sed ejusmodi, quæ
nos admoneant de beneficiis DEI, ut Friderici,
Theodori, &c.

XII. Alter ritus est, Exorcismus, quo ex unâ par-
te abutuntur Pontificii, ex altera v. eum tachinnis
& scommatis excipiunt Calvinistæ & Anabaptistæ.
Significationem a. Exorcismi vocabulum habet
triplicem. 1. idem valet, atq; alicui juramentum
deferre, & ipsum jurejurando constringere, ut
Matt. 26, 3. 2. significat Spiritum malignum, qui
corporaliter invasit hominē, potenter ex obsessō de-
pellere, ut Christus & Apostoli ferre, Matth. 8, 16.
15, 28. Luc. 9, 22. 10, 19. & in primitiva Ecclesia
multi Christiani, testibus Tert. Cypri. August. &
aliis, quod donum vero cessavit, quicquid etiam de
ejus duratione gloriantur Pontificii. Utraque hæc
significatio est Biblica, 3. significatio est planè
alia & Ecclesiastica, nihilque aliud notat,

quæritur

quam Diabolo indicare, ac denunciare, ipsi nullam amplius esse sortem in hoc homine, simulq; per indirectum Exorcismus nobis nostram miseriam, & quales naturam simus, ob oculos ponit, & est hujus loci. Non itaq; recte faciunt, qui apicibus literarum inhaerent, & nescio quid monstrum sibi latere, sibi persvadent, sed res & explicatio Ecclesiae attendatur, quae approbata, in verbis debemus esse faciles.

XIII. Porro quoq; non de sunt nobis rationes, quibus pro Exorcismo, non ad cujusvis placitum abrogando, dimicamus. 1. quia bono fine susceptus est, commonefacit n. nos de peccato originali, efficaciamq; S. Baptismi nobis commendat, & summae Tyrannidis Diabolicae, cui naturam subjecti sumus, est pictura. 2. quia, licet in scripturis specialiter quidem non sit praecipitum, nullo tamen modo simpliciter est prohibitus, proinde quid ejus usum vetet non video. 3. quia quasi realis est confessio Ecclesiarum nostrarum, se dissentire à Pelag. & Photin. originale peccatum negantibus, & Calvinianis, infantes fidelium à nativitate sanctos & sub foedere gratiae comprehensos esse, docentibus. 4. quia libertas Christiana hac ratione labefactatur, ansaq; datur Calvinis equis alia majora tentandi, contra praecipitum Gal. 5, 1. State in libertate, qua Christus nos liberavit.

XIV. Videndum jam, quid adversarii in eo desiderent. 1. Exorcismus fuit donum temporarium, quae nunc prorsus exspiravit. Zepp. d.

Sacram.

Sacram. Bapt. c. 16. p. 360. Buc. d. Bapt. p. 639. R. Verū hoc est de Exorcismo secundæ significationis, falsum vero de significatione usu alio Ecclesiastico introducta, quâ sumitur pro verâ denunciatione ad Diabolum, ei nullam amplius superesse potestatem in baptizando; 2. Quia cum fœderis divini, infantum à fidelibus parentibus, inq; Ecclesiæ gremio natorum matrum item prægnantium, adeoq; conjugii injuria conjunctum est, quod Exorcismus circa Baptismum adhibetur, ac si infantes obsessi sint corporaliter a Diabolo. R. 1. Videmus Calvinianos, non alia de causa, Exorcismo insensos esse, quàm quia is ipsorum doctrine de Fœdere divino in quo infantes fidelium sancti nascantur, in faciem contradicit. 2. Imo vos potius injuriam facitis Fœderi divino, dum infantes iræ divinæ subjectos, peccato mancipatos, citra ullam usurpationem mediorum regenerationis, & citra fidem eî annumeratis, contra manifestum verbū DEI Joh. 1 & 3, 6. Eph. 2, 1. 3. Doctrina nostra de Exorcismo non minus contumeliosa est, in conjugium aut prægnantes, quàm doctrina de peccato originali & actuali, quod in omnes homines cadit. 4. Atrox calumnia est, quod hic Exorcismo affingitur, ac si pelleret Demones, corpora humana corporaliter obsidentes, nos nil tale docemus. 3. ratio quia neq; labes peccati, neq; reatus in infantibus tollitur Exorcismo, sed sanguinis Christi merito. Resp. Concedimus ipsi libenter, Exorcismū nil efficere, aut gratiam spirituales conferre, sed tantum representare.

rare, unde cum non effectivum dicimus, sed significativum.

XV. Tertia ceremonia est Patrimorum & Matrimarum baptizando destinatio, Ortus est hic mos ex Baptismo Catechumenorum quos, cum baptizari volebant, fidei suae testes & quasi sponsores afferre oportebat, ideoque gaudet veneranda canicie. Dilectio quoque fraterna approbat, quia unus pro alterius salute precari debet, eamque promovere, id quod fit in ista ceremonia. Ab hac non multum discordat historia eorum qui Marc. 20, 13. Luc 18, 15. infantes Christo obtulerunt. Destinentur autem ejusmodi testes, qui sint pii, consortes in religione, ne videamur trahere jugum cum infidelibus 1. Thess. 5, 25. 2. Cor. 6, 14.

XVI. Quarto adhiberi quoque solet signum crucis, in fronte & pectore infantis formatum. Huic ritui nimis quam equum est, insensi sunt Calvinicola, neque aliter possunt, cum videre nequeant crucifixam imaginem crucifixi Christi. Sic n. Beza in Col. Momp. p. m. 344. Fateor me ex animo crucifixi imaginem detestari, ideo eam non possum ferre, Unde in specie hanc ceremoniam, e Bapt. eliminatam vult Zepp. Sacr. p. 358. ob causas, 1. quia neque Apostoli, neque Apost. Ecclesia, in Bapt. signum hoc crucis usurparit. R. Quasi Apost. tantum in omnibus quae ipsi fecerunt, imitandi sint, & quasi nullus alius ritus admitti debeat, nisi qui ab ipsis adhibitus fuerit, quare ergo Calviniani non baptizant in fluminibus, sub diu! 2. quia Diabolus, neque crucem illam, quam infantes signamus

mus quicquam curat, sed efficaciam crucis Christi, qua prostratus fuit. R. Procedit hæc ratio, ex falsâ præsupposita hypothese, ac si hæc nostra esset mens, Diabolum arceri per signum illud, in quo nobis fit injuria, ad eod³ hac vice non contra nos dimicat, sed contra proprium *μορμολύκειον*, ideod³ approbam⁹ tote, quæ de efficacia crucis Christi assert. Nam signum crucis non efficere aliquid dicimus, sed duntaxat repræsentare, regenerationem in Baptismo nobis obtingentem, Christi crucifixi merito partam esse.

XVII. Quintò huc quoq³ referendæ sunt interrogationes ad infantes factæ, num abrenunciare Diabolo velint & credant, ubi susceptores vice infantum respondent. Zepperus cit. loco debachatur in in hunc morem inquiring: Pudendum est, & prudentibus indignum, interrogatoria hæc adultorum in Baptismo olim Paganorum adhibita, ad infantum baptismum ineptè traducere, & tam pueriliter *κακοληζέω*, quia a. hoc nude asserit non probat, eadem facilitate reiicitur, quæ profertur. Quæ a. de fide parvulorum citat ex Aug. non sunt hujus loci. Dicimus a. ipsos infantes ibi respondere, mediante scilicet aliâ personâ.

XVIII. Sextò habentur quoq³ à ministro sacræ preces, recitatur oratio Dominica, & actio Bapt. cōcluditur benedictione ac pio voto, pro conservatione fidei in infante, ajendo: DEUS pater omnipotēs, qui te regeneravit ex aqua & Sp. S. concessitque tibi peccata tua, ipse te servet in vitam æternam


æternam, quæ formula extat ap. Ambros. l. 2. d.
Sacram. c. 7. circa finem.

XIX. Secessum itaq; Ecclesiæ nostræ fecerunt ab u-
na parte à Calvinianis, omnes bonos ac utiles ritus
spernentibus, eorumq; abrogationem tanquam sum-
me necessariam urgentibus, atq; sic actionem Baptis-
mi minus quam decet honorifice tractantibus, ab al-
tera v. à Romanensibus multitudine nimia ac stoli-
ditate rituum, Baptismum enervantibus, & inspe-
ctaculum planè histrionicam mutantibus, quorum
ceremonias qui avert cognoscere legat Bellar. To. 3.
l. 1. d. Bapt. c. 26. 27. Unde versus nati.

Sal, oleum, chrisma, cereus, chrismale, saliva,
Flatus, virtutem Baptismatis ista figurant.

XX. Colophonem itaq; imponimus tractationi de
Baptismo, quem etiam sub praxin ac piam me-
ditationem revocare possumus. 1. Ingentes gratias
DEO Trinuno agentes, pro ejus institutione, quod hoc
pacto nos regenerare & in gratia confirmare voluit.
Plato quotidie gratias egit DEO, quod Græcus &
non Barbarus natus esset, quanto magis nos decebit
DEO gratias agere, non solum quod ex fidelibus pa-
rentibus nati, sed etiam per Baptismum ad æternam
vitam renati simus. 2. Baptismum in omnibus nostris
afflictionibus piè recogitando, juxta exemplum Da-
vidis, 1. Sam. 17, 126. Benignissimus DEUS, qui per
Baptismum in fœdus gratiæ nos recepit, in eodem
usq; ad finem vitæ nos sanctos & immobiles conser-
vet, per Christum Dominum nostrum, in Spiritu
sancto, A.M.E.N.

SOLI DEO GLORIA.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

REGII
MENTIS
ima quarta
IS, RITI-
EMONIIS
SMI.
HOVA
IDIO
S MEISNERI
gnifici p.t. Rector.
aminandam
MICHAELIS,
ensis.
b. boris pomeridianis
itorio.
RGÆ,
is Gormanni,
C. XX

